Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

dri faciant: sicut e diuerso peccatum si negligant. Ordinatus autem abbas: cogitet semper quale onus suscepit: et cui redditurus est rationem villicationis suae. Sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse. Oportet ergo eum esse doctum lege diuina: ut sciat et sit unde proferat noua et uetera. Castum: sobrium: misericordem: humilem: et super exaltantem misericordiam iudicio: ut idem ipse consequatur. Oderit uitia: diligat fratres. In ipsa autem correctione prudenter agat: et ne quid nimis: ne dum nimis cupit radere eruginem fran- gatur uas. Suamque fragilitatem semper suspectam sit: meminerit calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus ut permittat nutriri uitia: sed prudenter et cum caritate ea amputet: prout uiderit unicuique expedire sicut iam diximus: et studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentus et anxius: non sit nimius et obstinatus: non sit zelotypus et nimis suspiciosus: quia nunquam requiescit. In ipsis imperis suis sit prouidus et consideratus: siue sit de seculum sint: siue secundum deum. Opera quae iniungit distinguat et temperet: cogitans discretionem sancti iacob dicentis. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur omnia una die. Hec ergo aliaque testimonia discretionis matris uirtutum sumens: sic omnia temperet: ut et fortes sint qui capiant: et infirmi non refugiant. Et precipue ut perfectam regulam in omnibus conseruet: ut dum bene ministrauerit audiat a domino: quod seruis bonus qui erogauit tritici conseruis suis in tempore suo. Amen dico uobis ait: super omnia bona sua constituet eum.

+ Diuisio

+ Diuisio.

De preposito monasterij. Capitulum lxxxv

Capitulum 65.